Quelle: http://manuscripta.at/?ID=445
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

EVS.

Esca aut eius erat locuste. et mel sil
vestre. Tunc exibat ad eum hierusa.
et omnis iudea. et omnis regio circa
iordanem. et baptizabat eos in
iordane. confitentes peccata sua. Videns
autem multos pharisaeorum et sadducaeorum
venientes ad baptismum suum. dixit
eis. Progenies viperarum. quis demonstrat
vobis fugere a ira ventura. Fa
cite ergo fructus dignos penitentie. et ne
velitis dicere intra vos. Patrem habemus
abraham. Dico enim vobis. quoniam po
tens est deus de lapidibus istis suscita
re filios abrahae. Iam enim securis
ad radicem arborum posita est. Omis
ergo arbor. que non facit fructum bo
num. excidetur. et in ignem mittetur.
Ego quidem baptizo vos in aqua
in penitentiam. qui autem post me ven
turus est fortior est me. cuius ego
non sum dignus calceamenta por
tare. ipse vos baptizabit in spiri
tu sancto et igni. Cuius ventilabrum
in manu sua. et purgabit aream
suam. et congregabit triticum in horreum
suum. paleas autem comburet igni
inextinguibili. Tunc venit iesus
a galilea in iordanem ad iohannem. ut
baptizaretur a eo. Iohannes autem prohi
bebat eum dicens. Ego a te debeo bap
tizari. et tu venis ad me. Respondens
autem iesus dixit ei. Sine modo. sic enim
decet nos implere omnem iustitiam. Tunc dimisit eum. Baptiza
tus autem iesus. protinus ascendit
de aqua. et ecce aperti sunt ei celi. et
vidit spiritum dei descendentem sicut co
lumbam. et venientem super se. Et ecce
vox de celis dicens. Hic est filius
meus dilectus in quo mihi complacui.

Tunc ductus est Cap. iiij.
iesus in desertum a spiritu.
ut tentaretur a diabolo.
Et cum ieiunasset. xl. diebus. et xl. noc
tibus. postea esuriit. Et accedens tem
tator. dixit ei. Si filius dei es. dic ut
lapides isti panes fiant. Qui respondens
dixit ei. Scriptum est. non in solo
pane vivit homo. sed in omni verbo
quod procedit de ore dei. Tunc assumpsit
eum diabolus in sanctam civitatem. et
statuit eum super pinnaculum templi.
et dixit ei. Si filius dei es. mitte te de
orsum. Scriptum est enim. Quia an
gelis suis mandavit de te. et in ma
nibus tollent te. ne forte offendas
ad lapidem pedem tuum. Ait illi ie
sus rursum. Scriptum est. non tempt
abis dominum deum tuum. Iterum assumpsit
eum diabolus in montem excelsum
valde. et ostendit illi omnia regna
mundi. et gloriam eorum. et dixit ei.
Hec omnia tibi dabo. si cadens
adoraveris me. Tunc dicit ei iesus.
Vade sathanas. Scriptum est enim.
Dominum deum tuum adorabis. et illi soli
servies. Tunc relinquit eum diabolus.
et ecce angeli accesserunt. et ministrabant
ei. Cum autem audisset iesus quod io
hannes traditus esset. secessit in galy
leam. Et relicta civitate nazareth.
venit. et habitavit in civitate capha
naum maritima. in finibus zabulon
et neptalim. ut adimpleretur quod dictum
est per ysaiam prophetam. Terra zabu
lon. et terra neptalim. via maris trans
iordanem galilee gentium. Populus qui
sedebat in tenebris. vidit lucem magnam. Et sedentibus in regione umbre
mortis. lux orta est eis. Et exinde
cepit iesus predicare. et dicere. Pe